



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1719. usque ad annum 1720

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 11. Serenissimi Regentis literæ ad Regni Episcopos contra Ecclesiasticos inferiores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67659)

lege, ut non Parisiis, sed in Bissyii Diœcesi distribuèrentur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1719.

§. XI.

Serenissimi Regentis literæ ad Regni Episcopos contra Ecclesiasticos.

Cum vero præter Parlamenta etiam secundi, ut vocant, Ordinis Ecclesiastici eo petulantius contra suos Episcopos insurgerent, quo arctius eisdem obedire tenebantur, hinc summus Pontifex iterato Gallici Regni Moderatorem obsecrabat, ut quorundam Parliamentorum audaciam refrænare, cunctaque ab eis contra Pontificias Constitutiones, & contra Acceptantes Episcopos attentata abolere velit. His precibus quodammodo deferendum ratus Regni Moderator, primo Ecclesiasticorum ausibus frænum injecturus, ad cunctos Franciæ Præsules die vigesima quinta Octobris has dedit literas:

*Act. publ.
Const. p. 598.*

„Insuperhabitis obstaculis, quibus nonnulli sincerum meum contentiones occasione Pontificiæ Constitutionis exortas componendi desiderium evertere moliantur, nondum tamen eas juncta Episcoporum opera terminandi spem abjeci: non enim mihi persuadere valeo, quod cunctæ difficultates hucusque plenæ eorum reconciliationi obstantes fidei

dei

Sæc. XVIII. dei & charitatis vinculis, quibus inter
A. C. 1719. se colligantur, prævalituræ sint,,

„Urget pacis amor, & Episcopatus
honor, secundi enim Ordinis Ecclesia-
sticorum arrogantia, qua contra Episco-
patus dignitatem sese non sine subordi-
nationis & disciplinæ præjudicio eri-
gere moliantur, nil nisi tumultus, &
perturbationes progerminare potest: Ne
ergo unionis spes intercidatur, simul-
que ejusmodi Ecclesiastici in debitæ
erga primos suos Pastores subjectionis
officio contineantur, ad supremum Præ-
sidem & Generales Parlamentorum Pro-
curatores literas, quarum transumptum
acclado, dare constitui, spe fretus,
quod, cum venerationem sacræ Sedis
& summo Pontifici debitam profitemini
doctrinas in Catholicis Scholis receptas
cum erroribus & dogmatibus ab Eccle-
sia proscriptis confundere abstinueritis

Hac ratione media, quibus omni tem-
pore Episcopatus jura ac libertates no-
stræ contra exterorum principia factæ
tectæ fuerunt servatæ, adeo non im-
pugnabitis, ut potius ea submissa con-
stantia propugnetis, ac veritatem ita
fideliter defendatis, ut omnis schisma-
tis occasio simul tollatur.

Denique vestram jurisdictionem li-
mitibus per Regni leges præscriptis cir-
cumscribite, & Ecclesiasticorum vobis
sub

subjectorum crimina plectite, ita tamen, Sæc. XVIII.
A. C. 1719.
ut vestræ potestatis fines non excedatis.

Tum vero, si qui contra vestra mandata generalia, aut particularia statuta appellationes ab abusu interposuerint, facta earum discussione mihi nil gratius accidet, quam si vestram prudentiam, Religionis studium, animique moderationem deprædicare potero &c., Præter has literas Regens etiam petulantiores quosdam Appellantes exilio multavit, & nonnullis Episcopis contra quædam Parlamenta validam præstitit opem.

§. XII.

Ejusdem Regentis epistola ad Præsides & Parliamentorum Procuratores circa appellantes Ecclesiasticos.

Eadem die Serenissimus Regni Regens Parliamentorum auctoritatem circumscripturus, ad supremos Præsides & Parliamentorum Procuratores Generales has dedit literas.

„Quamvis contestationes in Gallicana Ecclesia occasione Constitutionis Unigenitus excitatæ unanimi conciliatione hucusque terminari non potuerint, eas tamen eadem via tandem finem habituras spero.

Quo-